

III.
NEOVIDENSIS

Nro 40. (*Neovidensis* 1805. Nro 36.)

Ex campis Elysiis

Oratio Politica

De vi commercii in Regna.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 17. Maji 1805. (Neov. 3. Maji.)

Propositio :

Inter momenta corporis politici format commercium auream potentiam. Natio; quae commercium exercet; ditior est, quam Status Pastoralis. Cum itaque pecunia sit verus rerum gerendarum nervus, Gens commercio dedita potest diutius bellum gerere, & quod inde deducitur; aliis dominari.

Renal — Praef. Tom. I.

Et ita revera est modo in Anglia. Quis potest tanto tempore sumtus, & impensas bellicas suppeditare; atque Britannia? Insula ex 8 vel 9 millionibus hominum constans dominatur maribus, & commercio fere in universo terrarum orbe. Quomocunque prohibeantur mercēs extrahaeae, mercator tamen semper invenit latebras, per quas eadem possit inferre. Generatim moralitas negotiatorum ita est comparata; ut contentus suas mercēs alienare; etiamsi inde Respubli-

ca detrimentum capiat. Non curant illi bonum publicum. Fridericus Unicus gloriatur, se annonam, atque arma a quæstoribus Francisci I. Imperatoris coëmisse. Hollandi suis inimicis omnia subministraverunt; Angli tempore ultimi belli vendebant Gallis pulveres pyrios, & sal nitrum, quibus rebus ipsi egebant.

Et quis solvit hodie Anglis bellicas impensas? Nos miseri continentis habitatores. Si pro Coffea, sacharo, Jalappa, Hippocriana, & aliis similibus purgantibus medicinis quotidie medium tantum cruciferum pro homine computemus, singulis diebus efferuntur in Angliam ex Germania 14 milliones, ex Gallia 15 milliones, ex Helvetia 1 millio, ex Italia 8 milliones, ex Hispania, & Portugallia 8 milliones, ex Russia, Dania, & Svecia 18 milliones cruciferorum, sola enim Anglia has merces administrat, & quidem qualibet die! Quam enormis summa vel pro his mercibus! Ubi deinde sunt artefacta Anglicarum Manufacturarum?

Dilectissimi amici! Lubet hac de re singulare factum commemorare. Quidam opulentus vir amore patriæ inflammatus declaravit, se nihil velle habere in sua re familiari, quod ex Anglia veniret. Hac methodo voluit ille dare exemplum, quod omnes Germani imitentur, posse homines a mercibus Anglicis abstinere, & etiam debere. Nominetur Panglossius.

Iste quodam mane novo æstro percitus ita suos domesticos est allocutus: Nihil, nisi producta patria locum habeant in mea domo. Allatum ei est jentaculum; constabat autem ex Coffea. Quid? inquiebat, Coffea, & sacharum veniunt ex Anglia, nolo Coffeam, sed etiam apage cum potu Theæ; facite mihi jusculum ex vino, vel cerevisia. Comparuit jusculum vinaceum, sed paratum ex sacharo, & aromatibus — neque istud volo. Jusculum ex incocta farina fuit ejus jentaculum.

Sic putavit Panglossius se primam horam matutinam a contributione Angliæ exemisse. Ast incidit eidem, se habere indusium ex tela Hibernica confectum, abjecit illud, curavitque aliud ex tela in Bohemica Harrachiana fabrica paratum adferendum. Ventum est ad braccas, quæ erant ex panno Anglico, petiit sibi alias. Quid cum tibialibus? erant in Anglia texta; induit alia ex filo germanico. Antequam ocreas attraheret, suspicabatur inesse illis aliquid Anglici, soleæ parantur ex pellibus ex Aère Bono (*Buenos Aires*) allatis, quales tempore hodierni belli nonnisi Angli habere possunt. Removeantur; adportate alias cum germanicis soleis, etiamsi exiguo tantum tempore duraverint. Faciendum est hoc patriæ sacrificium, & potius minus durabilibus utendum vestibus, dummodo germanicæ sint originis.

Subucula, vel interula multum conturbavit Panglossium: Omnes, quas habebat in armariis, factæ erant ex materia Anglica; jussit igitur sibi unam fieri in fabrica Menstensi

prope Pilsenam. Assumenda tandem erat toga! unicam reperit ex Berolinensi officina panni, hanc induit, verum nodi erant Anglicani; Quare illis abscissis voluit alios substitutos. Difficultas de collari levi negotio soluta est, in locum Anglici strophii obvolvitur collum Helveticum. Caput operuit pileo germanico, sed baculus, arundo hispanica, videbatur illi suspectus, mandavit, ut ex ligno germanico alter coleretur.

Quomodo autem expalluit, in memoriam revocans, colorem in suo vestitu non esse germanicum. Iratus & togam, & interulam ab se projecit, dicens intra se ipsum: Nullane ratione fieri potest, ut ab Anglici commercii tributo tandem aliquando liberemur? Alba dein toga se vestivit. Hic est color innocentiae, color Germanae sinceritatis. Erantne etiam tegumenta lecti alieni coloris? Sine mora omnia e suo cubili exportanda praecipit. Hoc labore occupabatur amore patriae animatus usque ad tempus prandii. Itum est ad mensam. Uxor ejus comparuit more consuetudine induta. Tum ille: summe necessarium est, inquit, ut omnia, quae ex Anglia veniunt, a nobis abdicemus; omnia in domo Germaniam redoleant. Considerabat autem suam conjugem a vertice capitis usque ad plantam pedis. Superi! quo ille tunc erat animo! cuncta ferme, quibus uxor tegebatur, erant ex Anglia. Omni corporis ornatu spolianda fuisset, si debuisset exuere, quod in se ex Anglia habebat. Hinc nova perturba-

tio, ira, & altercatio. Affirmabat uxor, sibi nudæ fore incedendum, si ejus res vestiaria fuerit ab Anglicanis mercibus perpur-gata. Hoc acerbum inflixit Panglossio de commodis patriæ sollicito vulnus.

Ita meditabundus accubuit mensæ. Vi-dens ante se positum salinum, & vas pipere repletum cohorrui, arreptamque piperis pyxi-dem per fenestram ejecit, ridente adhæc uxo-re. Distribuebatur jusculum; Hoc utique, clamavit cum indignatione, aroma olet! Omni-no, reposuit uxor; Atque hoc ex Angliâ est allatum? — Nolo jusculum. Dictum, factum, nihil gustavit. Dein apposita sunt vario mo-do condita cibaria, aromatibus referta, ab his etiam abstinuit. Demum illata est men-sæ brassica botrytis — Quid? ista brassica ex semine Anglico prognata est? Non vescor tali edulio. Remotis mensis adportatus fuit potus ex fabis Americanis paratus. Hic supra mo-dum excanduit. Quis germanorum, inque-ibat, potest esse tam præfrictæ frontis, ut Cof-feam, hoc exitiosum productum, quod Hol-landos olim locupletavit, modo autem Anglos dominatores commercij facit, ori suo ingerat! Uxor attonita hæsit. Ego jam summo mane dixi, me nihil Anglici velle habere sive supra corpus, sive in corpore. O stultissime mari-torum! ajebat uxor, tu solus mentem his in-eptiis repleas? Alii omnes tam viri, quam fœ-minæ Coffeam bibant? ego sola agam stul-tam? Hinc enata lis, & contentio facile po-tuisset in apertum odium erumpere. Interea

eversa sunt omnia vasa coffeacia; quare lamentari cœpit uxor, destructam esse suam e ligno Mahagonico constructam mensam. Panglossius vero erectis ad sydera manibus clamore omnia complevit; Proh Deum, hominumque fidem! ipsa adeo mensa ex Anglia est, vel certe lignum pro ea inde adfertur.

Panglossius tantis doloribus agitatus incidit in morbum; vocatus accurrit medicus, qui eidem ob nimium effusam bilem vomitorium, hypocuanam præscripsit; Quid? vociferabatur Panglossius, ergo nec vomere licet, nisi Anglis tributum pendatur? Medicus mutaturus medicinam voluit dare jalappam. Superi! clamavit æger, etiam ex purganda alvo quærunt Angli lucrum, namque jalappa modo ex Anglia advehitur.

Tota domus fuit conturbata; uxor, liberi, famuli, & ancillæ malebant domo excedere, quam potu coffeæ carere. Tumultu omnia perstrepebant! Panglossius fessus, & afflictus sedit in angulo domus, perpendens omnia, quæ evenerant, post multam tandem deliberationem conclusit confiteri, se rem suscepisse insuperabilem. Convocavit domesticos, eosque in hunc modum est affatus: Amore patriæ incitatus volui ex domo mea omnia, quæ Anglica sunt, exterminare; Ipsi vidistis, quanto mihi hoc propositum steterit labore. Hodierna dies præcepta dat nostræ patriæ — Ego Paterfamilias non potui merces Anglicas domo mea exturbare; nolite, quæso, nostris Principibus, nostro Patri Patriæ vitio vertere;

nondum esse easdem ex Civitate eliminatas. Ex administratione meæ rei familiaris quasi ex speculo hæc doctrina patescit.

Ista Panglossii historia non est commentum, sed veritas. Possem urbem, possem domum, ubi acciderit, nominare. O dilecti amici! ad extirpandas merces Anglicas opus esset universali rerum conversione, ora nostra, mores, atque vestiendi modus deberent meliore donari forma. Non uno cadit arbor ab ictu; Sæcula requiruntur.

De politicis rebus statui sequens factum, Mietavia 10. Aprilis acceptum, commemorare: Die 7. hujus, hora secunda matutina in ala arcis Blankenfeldensis pone Mietaviam, in qua Generalis rei tormentariæ cum sua legione hospitabatur, sub tecto ortum est incendium, & intra exiguum tempus ita increvit, ut omnis fere conatus irritus evaserit. Comes de Lille, qui ad primum tympani ictum expergefactus est, tota nocte laborabat una cum Duce de Angouleme, & suo comitatu.

Hora 5 matutina, momento, quo omnes occupati erant in restingvendo igne, videbatur fumus assurgere ex angulo, qui alam ardentem cum præcipua arcis parte connectit. Ascendentes repererunt in quadam cella infra lecticam castrensem acervum sarmentorum, laciniarumque in pavimento accensarum. Ignis jam asseres, & trabes corripuerat, & momento tardius, flamma omni ex parte erupisset.

Præterea die 8 mane observatus est fumus super cubiculis, quæ ipse Comes de Lille

incolebat. Politicæ Director, & alii Officiales, consensu tecto invenerunt penes caminum ollam cum carbonibus, ardentes antiquas lacinias, nec non tabulatum pavimenti, verum hoc illico feliciter sopitum est.

Investigationem veri peregit Generalis Gubernator, Comes de Buxhœvden, qui audito hoc infelici casu Riga accurrit ad Comitum de Lille. Ipse in omnia inquisivit, severissimaque dedit pro custodienda atque mandata, ubi nunc omnia pacata sunt.

*Resolutio Problematis anno elapso sub Nro 68.
propositi:*

Sit numerus discipulorum in uno eodemque scamno æquali numero sedentium = x , numerus autem omnium scamnorum = y , adeoque discipuli in $y - 2$ scamnis sedentes = $x(y - 2)$. Porro juxta primam conditionem $xy - 2x + 2x + 2 = xy + 2 =$ numero omnium discipulorum; Ex secunda conditione prodit $xy + 2 - 20 + 4y$, videlicet $xy - 18 = 4y \dots A$; Ex tertia conditione $xy + 2 + 7 = 7y$, nimirum $xy + 9 = 7y \dots B$. Si A subtrahatur a B, erit $3y = 27$ unde $y = 9 =$ numero scamnorum, & $x = 6 =$ numero discipulorum.

Isacus Schuster,

Francofurtensis tabellarii filius.

Hoc Problema accurate resolverunt: Offenbachensis G. H. Ehler. Stryensis Benedictus Losy de Lösenau. Bruchsalensis G. Epstein: Brunnensis Friedericus Hoppe, & Asciburgensis M. Lieber.

Appendix ad Ephemerides Latinas

Nro. 40.

Completens Physico - Oeconomica.

*De Cultura Dianthorum.**Conclusio.*

Alter Dianthos propagandi modus est, qui taleis seu surculis peragitur. Pro usu hoc anniculi sumuntur; & vel illico a matre radice revelluntur; vel incisi solum depanguntur; tumque demum penitus resecantur, postquam fixis radicibus aliena jam ope non indigent. In casu primo revulsi surculi inferne acuto cultello aliquantulum finduntur, & interposita festuca, ne partes fissæ coeant, parato vasi figlino, aut cistulæ lignæ inseruntur, in umbra dein tamdiu relinquiendi, donec radices agant. — In altero sequens tenenda est ratio: Mense Junio, detersis foliis, in medio surculi internodium, ceteris robustius, deligatur, ab hoc usque proximum acri penicillo surculus per medium findatur; tum transcissa ad inferius internodium parte una fissuræ, ea inflexo caute surculo, resolutæ terræ immergatur; ne autem surculus priori semet situi restituat, & partem humo impositam extrahat, is infixo lignello

in furcæ formam scisso, & appressa humo
vinculus teneatur. Postquam dein apparue-
rit, surculum necessarias jam ad sugendum
alimentum radices egisse, id quod commu-
niter postremis Augusti, aut primis Septem-
bris diebus evenire solet, a matre plene re-
scinditur, & ad eum, quem libuerit, locum
transplantatur.

Animalia inter, a quibus Dianthi noxam
patiuntur, infestissima sunt: *Chrysomelæ ole-
raceæ*, *aphides*, & *Forficulæ*. Ad fugandas aut
interimendas Chrysomelas (Erdflöh; Földi bol-
ha; Zemská Blcha) multa quidem ab Oli-
toribus remedia præscribuntur, e quibus tam-
en plurima Dianthis non minus noxia sunt,
quam ipsæ nominatæ modo bestiolæ. Effi-
cacissimum, ac certissimum dispellendi reme-
dium foret, easdem oriente sole intra folia
delitescentes manu legere; quodsi istud fieri
non possit, plurimum etiam ad eas fugandas
conducat, si plantulæ aqua, cui oleum tere-
binthinæ admixtum sit, frequenter rigentur.
Similiter Aphides (Blattlaus; Levél - tetű;
Lisná Bes) aut rigatione dictæ aquæ ope
fugari; aut sedulo legi necarique debent.
Funesta earum latibula e convolutis foliis
facile cognosci possunt. Forficulæ (Öhren-
murm; Fülbemászó - fureg; Stonoška) licet
inimicissimæ Dianthis, in eo tamen tolera-
biliores; quod facile intercipientur: cum enim
interdiu latebras quærant, sufficet vacua
limacum domicilia, aut convolutas infundi-
buli instar Chartas appendere, quæ mane,

aut
tur.

quib
bier
macu
cogn
nec
ignor
nem
assig
vel
sta r
fluus
cura
aut,
tur,
ced
turb
gant
habe
tum
exiti

Bra

plan
dieb
dem
a de
det.

aut in meridie forficulis refertæ videbuntur.

Suos etiam Dianthi morbos habent, e quibus *Ærugo alba & flava, putredo, & scabies* præcipuo loco numerantur. *Ærugo* e macula alba, aut flava, in foliis visibilis, cognoscitur. Macula hæc tamdiu serpit, donec flos emoriatur. Oritur potissimum ex ignorantia culturæ, aut negligentia; dum nempe Dianthis locus minus accommodus assignatur, vel parum aut immodice rigantur, vel demum foramina fundi vasorum obstructa relinquuntur; ut, præcluso egressu, superfluous humor stagnare cogatur; unde sedula cura opus est; ut malum hoc præpediatur, aut, si plantulas jam invasit, penitus tollatur, quamvis postremum raro admodum succedat. — Putredo pariter a nimio humore, turbida & inquinata aqua, qua Dianthi rigantur, ac radiorum solarium defectu ortum habet. — Scabies communiter vere, vel autumno nascitur a pluviis frequentibus, aut exitialibus venenatisque nebulis.

Brassicarum teneras plantulas adversus Chrysomelas oleraceas protegere.

Seminetur in lectulo eodem, qui sationi plantularum brassicæ destinatus est, 14. diebus prius apium petroselinum; istud eodem cum brassica tempore egerminans, hanc a depastione Chrysomelarum immunem reddet.

Remedium optimum contra Apum et Vesparum morsum.

Experientia probatum est, nullum efficacius ad sedandos dolores, ab infixis Apum & Vesparum aculeis proveientes, remedium esse, quam si vulneri sal commune, modica aqua humectatum, adplicetur. Imo in eo quoque casu, dum spiculo Vespæ, cum potu inadvertenter ad guttur delatæ, vulnus trachæe inflictum fuit, repetitum aquæ, sale culinari saturatæ, potum salutarem, patientique hoc solo remedio a pessimis morsus istiusmodi sequelis liberatum fuisse, eadem experientia docuit.

Lumbricos in hortis intercipiendi ratio.

Spargantur in semitis horti abrasæ particulæ radiois Dauci Carotta; has avidè lumbrici consectabuntur, iisque semet ita facient; ut ultro prorepere non valentes, die altera plurimos in semitis reperire sit, quos interceptos dein contere oportet. Si istud Majo Mense repetitis vicibus factum fuerit, successive totus hortus a molestis his vermibus purgabitur; & quia eliminatis lumbricis alimentum talpis subtrahitur, eadem quoque fidelia istæ emigrare cogentur.

Acetum e floribus dianthorum, rosarum, et violarum conficiendi methodus.

1) *E Dianthis.* Lagena vitrea duabus tertis partibus floribus siccis dianthorum ple-

rorum , coloris profunde rubri, repleatur e quibus tamen prævie omne id, quod albi coloris est, excindatur; adjectis dein frustillis nonnullis cinnamomi, & Caryophyllorum aromaticorum, adfundatur forte vinaceum acetum, totumque radiis solis per dies aliquot exponatur.

2) *E Rosis.* Rosarum rubri coloris gemmæ ita rescindantur; ut nihil seu albi seu flavi coloris iis immixtum maneat; tum siccatæ cum oblongo pipere, floribus muscatæ, Cinnamomo, & Caryophyllis Vasi vitreo ad dimidium usque imponuntur, pars residua aceto vinaceo bonæ qualitatis repletur, clausumque vas actioni solis objicitur.

3) *E Violis.* Folia Violarum ab aliis partibus sollicitè separata, figlinæ ollæ novæ, interne probe vitreatæ injiciuntur, & adfuso aceto Vinaceo igni admoventur, ut tantisper ebulliant. Refrigerata dein mixtura hæc, supra calidam fornacem, aut ad alium calidum locum ponitur, diebus aliquot in eodem relinquenda; ut violarum colore rite imbua- tur. Postea ad segreganda folia, putredini alioquin obnoxia, per linteum transcolatur, & infusa lagenis Vitreis, ac rite clausa, in usum reponitur.

De variis fini artificialis generibus.

Duo sunt, quæ statum Rei agrariæ plurimum promovere, ac beatum reddere valent; unum est, si agri sedula riteque instituta Cultura debite præparentur; ut humus

sugendis ex aere humoribus, alimento plan-
 tarum, & expandendis sine offensione radi-
 culis idonea fiat; alterum, si sufficiens fœ-
 cundandis reficiendisque agris probi fimi
 quantitas adsit. Usitatissimus, & fere uni-
 cus, quo Coloni nostrates utuntur, fimus,
 est stercus pecudum putri stramini mixtum;
 cujus si desideratam quantitatem semper ha-
 berent, profecto providorum Oeconomorum
 nomen jure mererentur: quia sicut virtus
 ejus passim nota est; ita reliquis fimi gene-
 ribus merito antefertur. Ast tristis experien-
 tia docet, Fundorum possessores persæpe
 maximo rei agrariæ nocumento fimo destitui.
 Neque id mirum. Imprimis enim haud raro
 videre est, quod non modo paucissima pe-
 cora, quorum numerus amplitudini latifun-
 diorum nullatenus respondet; sed ea etiam,
 ad mortem fere arcendam, misere alantur.
 Dein juxta consuetudinem pecora a primis
 veris diebus usque ingruentem hyemem in
 Campo pascuntur, ubi sæpenumero tenue
 admodum, exsuccum, pulveribusque obsi-
 tum gramen deglubere coguntur, & quidquid
 ejiciunt, id totum in Campo deperditur, quod
 domi collectum, atque in sterquilinum con-
 gestum, recreandis agris utilissime adhiberi
 posset. Demum nonnunquam aut defectu
 straminis, quod pecoribus substratum, vel
 in area dispersum putredine successive in
 fimum abiret, laborant; aut si eo provisi
 etiam sint, divendere illud potius pessimo
 pecuniæ corradendæ consilio, quam in usum
 necessarii fimi convertere malunt.

soco
 mum
 ra,
 tis l
 poss
 suæ
 lias
 utat
 tifun
 vel
 rum
 hum
 quer
 tabi
 nun
 non
 re s

dis
 præ
 con
 min
 hibe
 alca
 vim
 tion
 aqu
 stan
 exil
 cuit

Ceterum hac in re inscitiam potius, aut socordiam, quam egestatem subesse certissimum est. Nulla enim pœne res est in natura, quæ seu immediate, seu mediate stercoreis loco in emendandis agris adhiberi non posset. Quapropter etiam providus, rei quæ suæ familiari augendæ studiosus Paterfamilias innumera media habet, quibus si recte utatur, fimi sui quantitatem pro ratione latifundiorum augere potest. Fimus omnis est vel naturalis, quem sterces & urina pecorum, pecudum ac hominum, putredine in humum abeuntia suppeditant; vel artificialis, quem reliquæ substantiæ omnes seu e vegetabili, seu ex animali regno putredine gignunt. De postremi hujus generibus variis nonnulla scitu utilia isthic adducere haud fore supervacaneum existimavimus.

1. *Cineres.*

Quamvis usum Cinerum in fœcundandis agris jam Linnæus damnaverit eo; quod præter exsuccam terram, & salia fixa nihil contineant, quo ager vires recipiat; nihilominus eosdem in supplementum stercoreis adhiberi posse merito censemus. Etenim salia alcalina, quibus cineres abundant, iisdem vim fœcundandi tribuunt. Quippe commixtione salis hujus cum terrosi, oleosis, & aquosis partibus saponacea quæpiam substantia tantæ subtilitatis prognascitur; ut ea, exilissimas licet, radicularum sugentium vacuitates subire, sursum deorsumque intra

plantam moveri, sicque alimento ejusdem deservire possit. Quodsi solum, cui Cineres contribuuntur, pingue, tenax, & argillosum fuerit, non tantum peculiari vi sua terram fœcundat; sed etiam ad mixturæ temperamentum multum confert. Nam subtilissimæ Cinerum particulæ interiora humi argillosæ pervadentes ejus densitatem ita temperant; ut hauriendis ex aere humoribus maxime idonea reddatur.

Cineres, qui parato ex iis lixivio remanent, cum præter exsuccam terram nihil in se contineant, in fœcundandis agris vices fimi naturalis non prius supplere possunt, quam viis aliis salia recuperent, quæ per lixivii confectionem amiserant. Istud porro perficitur; si Cineres ejusmodi, adjecta iisdem calce viva, libero exponantur aeri, & per vices lixiviosa aqua, aut collecto in fundo sterquilini fimi liquore perspergantur; nam modo hoc attractis ex aere salinis particulis, priorem etiam agros recreandi virtutem adipiscuntur. Neque methodus hæc cineribus amissa salia restituendi utilitate sua destituitur, in ampliore præprimis Oeconomia domestica, ubi persæpe ingens Cinerum talium copia velut inutilis abjicitur. Illud solum monendum esse censent rei periti; ut nec altiores, neque humiliores pede uno Cumuli Cinerum, aeri libero expositorum, formentur.

(Continuabitur.)